

QUÆSTIO XXV.

DE DIVINA POTENTIA.

SUMMA TEXTUS.

Recto ordine S. Thomas post explicata hucusque ea attributa quæ pertinent ad voluntatem, et intellectum in Deo, et important actus immanentes, nunc transit ad explicandam potentiam executivam Dei, quæ explicatur per actionem transeuntem in effectu.

Circa attributum ergo omnipotentiae tria facit D. Thomas. Nam primo articulo expedit quæstionem an est, ostendendo dari in Deo potentiam activam in effectu. Secundo et tertio articulo explicat qualis sit, nempe in articulo secundo quod sit infinita, et in tertio quod sit omnipotens: sunt enim ista duo difficultates distinctæ, quia infinitas potentiae in secundo articulo sumitur pro infinitate intensiva, ut bene notat Cajetanus in articulo secundo. In tertio pro extensiva, ostendendo quod circa omnia possibilium versatur, non comparative ad hanc vel illam potentiam, sed absolute circa omnia quæ quoquo modoabilia sunt. Denique, in reliquis tribus articulis ostendit quomodo aliqua possit, vel non possit Deus quæ specialem difficultatem habent, ut quod præterita non fuerint, quod aliqua possit facere quæ non facit, quod possit meliora quam fecit.

Igitur in articulo primo ostendit dari in Deo potentiam non passivam, sed activam, nam Deus est summus, et purus actus. Unde nulla potentialitas ei convenit in qua fundatur potentia passiva, sed convenit summa actualitas, in qua fundatur potentia activa.

In articulo secundo ostendit hanc potentiam esse infinitam, quia essentia ipsa, et natura in qua fundatur, infinita est in actualitate: ergo et in activitate.

In tertio ostendit quod Deus est omnipotens, id est, omnia possibilium amplectitur, non solum omnia comparative ad aliquam potentiam creatam, quia omnem creatam potentiam ipse excedit, nec comparative ad suam potentiam: sic enim esset circulus, quod illa essent possibilium in quæ potest Deus, et in illa potest, quæ sunt possibilium; sed potest in omnia quæ sunt possibilium absolute, id est, ex ipsis terminis entitatis suæ, ex quibus non habent repugnantiam, nec implicationem contradictionis.

In articulo quarto ostendit non posse Deum facere quod præterita non fuerint, quia implicat contradictionem: si enim non fuerint, hoc ipso non sunt præterita.

In articulo quinto ostendit posse Deum multa facere, quæ non fuit, quia hæc quæ facit sunt determinata per ordinem sapientiae suæ, quæ operatur juxta finem, quem vult, et determinat sibi, non autem operatur ex necessitate naturæ omnia quæ potest.

In articulo sexto ostendit quod Deus potest facere meliora quam ea quæ fecit ex parte rerum factarum, non ex parte ordinis, et modi, quo facit, aut finis propter quem facit.

QUÆSTIO XXVI.

DE DEI BEATITUDINE.

Ex omnibus perfectionibus divinis hucusque explicatis colligitur, et coalescit, Deum summe esse perfectum in suo esse, et in suo operari: et sic esse summe felicem, et beatum, quia beatitudo in perfectione operationis consistit.

Quatuor ergo tradit. Primum in articulo primo, quod Deo competit beatitudo, quia beatitudo est perfectum bonum intellectualis naturæ, Deus autem excellentissime, et perfectissime habet intellectualis naturæ bonum.

In articulo secundo ostendit quod hæc beatitudo attribuenda est Deo secundum intellectum, quia perfectissima operatio naturæ intellectualis est secundum intellectum: Deus autem habet infinitam perfectionem intelligendi: suum enim esse est suum intelligere; et sic alii beati per similitudinem ad ejus beatitudinem beati sunt.

In articulo tertio ostendit quod Deus non solum est beatus, sed est beatitudo aliorum, non formalis pro actu beatitudinis: hic enim est ipsum intelligere beati quod est actus creatus, sed est beatitudo objectiva, quia ex hoc aliquis est beatus, quod Deum affingit.

In articulo quarto ostendit in Dei beatitudine omnem aliam beatitudinem includi eminentissime, quia in eo est omnis perfectio cujuscumque beatitudinis.

DISPUTATIO XI.

DE OMNIPOTENTIA DEI.

ARTICULUS I.

*Quid sit omnipotentia, quid possibilitas creaturæ, et quæ connexio inter utrumque?*

I. Deum omnipotentem esse absoluta fides est, et fidei articulus. Non defuisse tamen, qui Dei potentiam diminuerint, et decurtaverint, graves auctores referunt. Nam magister sententiarum in 1, dist. XLIII, aliquos suppresso nomine refert dixisse, Deum non posse facere alia

quam quæ nunc facit, quod certe erat tollere ab ipso omnipotentiam, cum multa non fecerit, quæ tamen potuit facere: Christus enim petivit tamquam possibile ipsi Patri, quod transiret ab eo calix, tamen id factum non est. Tenuisse hunc errorem Abailardum aliqui referunt, Thomas Waldensis tom. 1, lib. 1, art. 1, cap. x; Castro de hæresibus, verbo Deus, hæresi IV, et refert D. Thomam eum errorem attribuere Abailardo. Non citat ipse locum D. Thomæ, sed in quæstione prima de potentia, art. v S. Thomas dicit imponi hunc errorem magistro Petro Almalareo. Qui an sit idem cum Abailardo, ego ignoro. Iterum vero idem Castro verbo futurum contingens, eadem hæresim tribuit Abailardo,

Witleffo, et Luthero; sed Lutherus, et Witleffus ex diverso motivo ducuntur quam Abailardus, vel Almalareus a D. Thoma citatus: nam illi ex eo ducebantur, quod omnia necessitate absoluta existimabant evenire, unde fit consequens, solum ea posse fieri, quæ de facto fiunt. Et ideo in Concilio Constantiensi inter articulos Witleffi damnatos xxvii, sic habet: «Omnia de necessitate absoluta eveniunt.» Et hic error ut dicit S. Thomas citato loco, fuit olim quorundam philosophorum, qui dicebant Deum agere ex necessitate naturæ. Unde sequebatur, eum non posse agere nisi quæ de facto agit. Almalareus autem ducebatur alio motivo, scilicet quia Deus non potest præterire ordinem suæ sapientiæ, et justitiæ, et cum secundum illum ordinem res modo fiant, non potest ab illo Deus recedere, quasi non possit pluribus, et diversis viis, diversus ordo sapientiæ servari. At vero de Abailardo non invenio neque apud S. Bernardum qui ejus erroris capitula refutavit epistola cxc, neque apud Concilium Senonense tempore Innocentii II, anno 1140, ubi damnata est ejus doctrina, neque in epistola Innocentii, ubi confirmata est damnatio Concilii, expresse dixisse Deum non posse aliud facere quam facit. Sed invenio ipsum sic attribuisse Deo Patri omnipotentiam, quod eam denegaverit Filio, et Spiritui sancto, affirmans in Patre esse plenam potentiam, in Filio quamdam potentiam, seu semipotentiam, in Spiritu sancto nullam potentiam. Unde consequens fit quod non absolute negaverit Deum habere omnipotentiam, et posse plura facere, quam modo facit, sed non omni Personæ hoc convenire. De ejus autem motivo ponendi, et dividendi sic potentiam, et semipotentiam, et nullam potentiam, dicemus infra se-

quenti disputatione, articulo primo, tractando de ejus errore circa mysterium Trinitatis, ad eum enim locum directe pertinet.

II. Fides autem catholica ita firmiter omnipotentiam Deo attribuit, quod in ipso initio Symboli fidei quod in omnium ore habetur, ab isto attributo incipiat, dum dicit: Credo in unum Deum Patrem omnipotentem. Et passim in Scriptura omnipotentia hæc attribuitur Deo, Genes. xvii: *Ego Deus omnipotens*: et xxxv: *Ego Deus omnipotens, cresce, et multiplicare*: Exodi xv: *Omnipotens nomen ejus*: Esther xiii: *Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita*: Ecclesiastici xliii: *Gloriantes ad quid valebimus, ipse enim omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dominus, et magnus vehementer, et mirabilis potentia ipsius*: Apocalyp. iv:  *Dominus Deus omnipotens qui erat, et qui est, et qui venturus est*, et c. xix:  *Quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens*. Ut omittam innumera alia loca in Job, in Macchabæis, et aliis plurimis, ubi ista Dei omnipotentia perpetuo prædicatur.

III. Quod vero ita Deus sit omnipotens, quod possit plura facere quam modo facit, non est difficile ex Scriptura ostendere: nam in primis, ut dixit Angelus ad Virginem, Luc. i:  *Non erit impossibile apud Deum omne verbum*: constat autem multa esse verba de his quæ possent esse, et de facto non sunt, sicut sunt omnia futura conditionata, quæ passim in Scriptura narrantur, et de facto non fuerunt, et sicut est illud Matth. xxvi:  *An putas, quia non possum rogare Patrem, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Et tamen de facto illæ non fuerunt exhibitæ. Et Christus Dominus oravit ad Patrem ut calicem transferret a se:  *Quia*

*omnia, inquit, tibi possible sunt, nec tamen calix ille translatus est. Et Baruch. iii dicitur: Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace sempiterna: quæ tamen de facto non sunt posita in rerum natura; sicut et illud quod Samuel dixit ad Saul i Reg. xiii: Quod si non fecisses, jam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum ultra consurget: ergo aliquid potuit Deus facere, quod de facto non fecit. Denique, Sapient. xi dicitur: Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisâ, immittere illis multitudinem ursorum, aut audaces leones, aut novi generis irâ plenas ignotas bestias, etc. et infra: Multum enim valere, tibi supererat semper, et virtuti brachii tui quis resistet? Ergo non est dubium quin possit Deus plura facere, quam de facto facit, et quod sit omnipotens.*

POSSIBILITAS CREATURARUM UNDE SUMATUR?

IV. Cæterum licet ita constans sit, et stabilita per fidem omnipotentia Dei, tamen, ut inquit S. Thomas hic articulo tertio, rationem omnipotentia assignare videtur difficile, non quidem ex parte ipsius Dei, quia cum sit infinitæ perfectionis, etiam ejus virtus, et potentia infinita esse debet, et ad omnia se extendere: si enim ad aliquid non extenderetur, in illo minus perfectionis haberet. Sed tota difficultas est ex parte ipsius objecti circa quod versatur omnipotentia. Cum enim potentia dicatur ad possibile, et omnipotentia ad omne possibile, dubium est quid sit ista possibilitas et in quo consistat. Et difficultas est in duobus.

Primum, an ista possibilitas sit aliquod prædicatum intrinsecum, et reale in ipsis creaturis, et antecedens ipsam potentiam Dei, et præsuppositum ab ipsa, sicut quælibet potentia supponit suum objectum.

Secundum, an dicat talem connexionem, et essentialem ordinem potentia divina ad hanc possibilitatem, ut destructa possibilitate alicujus creaturæ, destrueretur omnipotentia Dei. Ex quibus colligemus quomodo dicatur omnipotentia Dei terminari ad non entia, et quomodo colligi possit dari in Deo omnipotentiam, seu infinitam potentiam.

V. De his difficultatibus aliqua attigimus præcedenti tomo, præsertim disp. xlviii, art. i et disp. xv, art. iii, sed breviter, et per transennam, quantum pro aliis difficultatibus ibi tractandis supponi opus erat. Nunc autem supponendo quæ ibi distinximus de possibilitate rerum quantum ad statum, et quantum ad entitatem, seu objectum, id quod modo in difficultatem vertitur est, an possibilitas illa intrinseca qua aliquid constituitur objectum omnipotentia, et discernitur ab ente ficto, aut ab implicatione contradictionis, antecedit omnipotentiam, an subsequatur, et a quo attributo proveniat. Et supponimus distinctionem illam illatam a D. Thoma in præsentis articulo tertio ex Aristotele in quinto met. quod possibile potest sumi vel relative seu comparative ad aliquam potentiam, vel absolute, et in se. Relate ad potentiam dicitur aliquid possibile, ex eo quod alicui potentia subicitur; et sic supponit ipsam potentiam, et ab ea accipit denominationem extrinsecam, ad eamque habet relationem subjectionis, et ab aliis vocatur hæc possibilitas physica. Absolute dicitur aliquid possibile ex eo quod in

se, et ex habitudine terminorum non habet repugnantiam ut sit; et dicitur ab aliis possibilitas logica, quia non consideratur ista possibilitas secundum subjectionem ad potentiam, et influxum ejus physicum, sed secundum habitudinem terminorum per modum non repugnantiam, quæ est quid rationis. Et non explicamus hoc per habitudinem, seu relationem ad esse, quia hæc tendentia ad esse dependet ab efficiente dirigente per influxum suum ad existentiam, sed explicatur per capacitatem ad esse, et capacitas quædam non repugnantia est ad id cujus est capax. Utrumque modum possibilitatis explicavimus disputatione illa XVIII, art. I, per hoc quod possibilitas rerum includit non repugnantiam intrinsecam ut sit, quæ fundamentaliter est aliquid reale, et denominationem extrinsecam a potentia, respectu cujus possibilis est.

VI. His suppositis quatuor sunt sententiæ circa possibilitatem creaturarum.

Prima, quod possibilitas ista in creaturis cum non sit aliquid reale in rerum natura, quia ante existentiam nihil reale datur, non est aliud, quam denominatio quædam extrinseca proveniens ab ipsa potentia Dei, sicque aliquid dicitur possibile, quia Deus potest illud producere, sicut dicitur visum ex visione ipsius videntis, quod est sumere possibile solum relate, et comparative ad potentiam. Ita attribuitur Gabrieli in I, dist. XLIII, q. II.

VII. Secunda sententia docet possibilitatem esse prædicatum intrinsecum ipsarum creaturarum, non minus quam ipsa entitas, et veritas, alique gradus, et prædicata quibus constituitur: in hoc enim maxime differt ens reale, et verum ab ente ficto vel chimerico, quod hoc est impossibile et incapax productio-

nis, illud possibile et capax existendi: hæc ergo capacitas aliquid verum, reale, et intrinsecum est. Hæc est communior sententia inter Thomistas, et alios, [videturque esse S. Thomæ, qui in præsentī articulo tertio docet possibilitatem creaturarum absolutam esse id quod habet rationem entis; pro eadem sententia plures citat Basilius Pontius tomo secundo variarum disputationum, q. VIII scholastica, c. VIII, Cajetanum, Sotum, Henricum, Liqueum, Vasquez, qui sequitur Henricum disp. CIV, c. IV; Granados tractatu de divina potentia, disp. VII, sect. II. Eandem sequuntur, qui tenent possibilitatem logicam esse ex Deo in genere causæ exemplaris aut finalis, quod non stat, nisi sit aliquid reale, et verum; quam sententiam tenet Aureolus in I, dist. XLIII, artic. III, sequitur Granados ubi supra, Gonzalez hic art. III, in relatione textus, conclus. VI, remittitque se ad disputationem XXXVII, sect. II, ubi vix id attingit num. XXIX.

VIII. Tertia sententia est Scoti in I, dist. XLIII, quæstione unica, §. Aliter dico, ubi sentit possibilitatem creaturarum (scilicet absolutam seu logicam), non denominativam antecedere potentiam divinam executivam, et provenire ab intellectu divino cognoscente, quatenus intelligendo creaturas reddit illas productas in esse quodam intelligibili, quod ipse vocat esse diminutum, et non est aliud quam res in esse cogniti, et ex hoc redduntur res illæ possibles, id est, producibiles in esse existentiam. Fortassis Scotus non voluit aliud quam res esse possibles, ut ideabiles, seu ut subjectæ ideis, ex quo postea subjiciuntur productioni.

IX. Quarta sententia docet possibilitatem logicam seu absolutam non esse aliquid reale derivatum a Deo per modum influxus vel effi-

cientiæ: hoc enim repugnat, cum esse factibile, seu possibile antecedit actionem, et efficientiam, sed derivatum a Deo exemplariter, seu idealiter, vel per quamdam sequelam, et consequentiam ex ipso posse activo, seu activitate Dei emanante. In hoc autem dividuntur auctores hujus sententiæ, qui censent possibilitatem logicam antecedere conceptum omnipotentiam. Nam quidam dicunt causari ab ideis divinis exemplariter in quantum exemplar habet rationem causæ formalis extrinsecæ. Ita Aureolus ubi supra, et sequitur Granados, et Gonzalez citati. Alii censent derivari possibilitatem logicam ab ipso posse activo Dei, ita quod Deus prius habeat in se posse activum omnino absolutum, et perfectum, et inde sequatur per locum intrinsecum possibile passivum creaturarum, quod est possibile logicum. Quo autem genere causalitatis sequatur, non explicant. Ita Henricus quodlib. VI, art. III, quem sequitur Vasquez hic disp. CIV, cap. IV, num. XII, et videtur sequi Basilius Pontius ubi supra, dum inquit, possibilitatem hanc non esse per actualem effluxum a Deo, sed ex eo quod potest res producere. Et hi auctores si loquantur de posse activo proximo, et formali, quod est attributum omnipotentiam, frustra existimant possibilitatem creaturarum logicam antecedere ipsam potentiam, sicut objectum ejus, nec videntur discedere a prima sententia, quæ dicit possibilitatem esse denominationem ortam a potentia: nec enim sequitur hæc possibilitas a potentia effluxive: ergo tantum denominative. Si autem illud posse activum sumitur non pro ipsa potentia, et attributo formali, sed pro potentia radicali, quæ est ipsa essentia divina, ut participabilis a creaturis, coincidit cum priori sententia de possibilitate ut causata ab

ideis, vel non explicat modum quo causatur possibilitas, et derivatur a Deo, quia præter effluxum rerum a Deo per modum efficientiam, non est alius, nisi vel per denominationem extrinsecam, seu per modum consequentiam, aut per modum causæ formalis extrinsecæ, et imitabilitatis.

X. Sit conclusio: Secundum mentem D. Thomæ possibilitas absoluta, seu logica ratione cujus aliquid est objectum proprium omnipotentiam, consistit in habitudine terminorum, qua prædicatum non repugnat subiecto; et hæc habitudo terminorum præsupponitur ad omnipotentiam, ut est vis executiva, et attributum distinctum ab aliis, sed consequitur ad ipsam omnipotentiam radicalem, quæ est ipsum esse, seu essentia divina ut participabilis, et imitabilis est a creaturis, sicque consequitur ad ideas divinas per necessariam consequentiam in ratione rei ideabilis, et participabilis, nec invenitur realiter actu in creaturis ante earum productionem, sed in potentia ipsa creatoris, solum autem est in creaturis objective, et in potentia. Tres partes continet conclusio.

Prima, quod ista possibilitas absoluta, et logica consistat in habitudine terminorum.

Secunda, quod ista habitudo sit participata per necessariam consequentiam ex essentia divina ut imitabili, seu ideis divinis antecedenter ad potentiam ut executivam, et ut attributum.

Tertia, quod realiter actu non inveniat ista possibilitas, nisi in ipsa potentia creatoris, et in essentia divina ut imitabili, et participabili, et continente creaturas. In ipsis autem creaturis non invenitur actu, sed in potentia objectiva. Et per has tres partes explicamus etiam ea, quæ de possibilitate creaturarum